AD AURELIUM REZZONICUM EQUITEM, ET FRATREM CLEMENTIS 13...

Angelo Schiavetti



AD

AURELIUM REZZONICUM

EQUITEM, ET FRATREM

CLEMENTIS XIII.

CUM DIVI MARCI PROCURATOR ELECTUS IN DIGNITATIS POSSESSIONEM VENIRET.

ORATIO

ANGELI SCHIAVETTI
CANONICI, ET PUBLICI PROFESSORIS.



VENETIIS
MDCCLIX.
TYPIS ANTONII ZATTA.
SUPERIORUM PERMISSU.



O R A T I O.

SI quid ſtabile in terris eſt & ſolidum, unde imperia, quæ non ſecus atque humana quæque caduca natura ſunt, optime fulta permanſura diu ſint, illud hercle religione in primis contineri puto, cultuque Sacrorum, quæ Superis immortalibus inſtituta. Id potiſſimum ab ultima temporum memoria proviſum eſt, ubique gentium, ne quiſpiam ſeu leges, ac judicia, ſeu publica negotia, ſeu bellum denique niſi auſpicato, aut litato adminiſtraret. Stant Regna quidem ſubſidiis innixa belli & pacis: verum hæc ipſa minus per ſe poſſint, ſi alio ſe dii averterint. Hinc penes Romanos dubiis formidoloſiſque temporibus alia atque alia inſtituta cœleſtis iræ placamina: hoc eſt, Templa ſæpe patefacta, & preces indictæ; alias lectiſternium juſſum, & pulvinaria decreta; ludi etiam aliquando celebrati, & vota nuncupata; demum renovata nonnunquam auſ-

 picia,

picia, quibus uti primum Urbs ipsa condita, ita non semel deinceps servata. Quæ calamitosior tempestas Romæ evenit periculi & metus, quam cum Galli victores Capitolium ipsum circumfusi obsedere? Nihil ad spem relictum videbatur Romanis militibus, quibus facultas ipsa erepta expetiendi vel extrema, adeo infirmis diuturna annonæ inopia corporibus, ut vix arma sustinerent. Verum adventante forte quadam Camillo dictatore, cum Galli pulsi fugatique, tum res Romana non solum subito restituta, sed etiam brevi amplificata. An miremur, unde repentina hæc, atque tanta fortunæ mutatio? Illud ego quidem attendere soleo, Romanos ipsos, antequam in Capitolium confcederent, atcem inde imperii, & Numinum sedem defensuri, providisse in primis, ut sacra publica a cæde & incendiis procul auferrent, atque ea fede reponerent, quæ fideli asservaret custodia; rum Cajum Fabium in ipsamet obsidione per medios hostes egressum sacra manibus gerentem in Quirinalem collem pervenisse, in quo sacrificium erat genti Fabiæ statum & solemne, demum Dictatorem, recuperata ex hostibus Patria, non ante reparandæ Urbi animum adjecisse, quam pro temporum ratione ea perageret, quæ ad Deos pertinerent. Hæc quidem pro inani quadam superstitione, quæ ejus populi animos occupaverat, nemo tamen, puto, dubitet, quin boni Superi singulare ipsum pietatis studium, quo poterant inter homines, singulari beneficio rependerint. Sed quid externa & vetusta arcessimus, quæ domestica habemus, & quidem pro germana religione multo luculentiora. Ex hoc ipso capite immortalis Veneta Respublica eam felicitatem repetit, qua jamdiu potitur. Etenim diligentissima Religionis cultrix quidquid divinæ rationi addictum est, incredibili quadam & prope singulari sedulitate curat, constituit, peragit. Si supplicationes in prosperis decernendæ, quid magnificentius, quid ornatius, quid hominum conventu atque frequentia celebratius? Si cœlestium iracundia expianda in adversis, quid magis ad luctum mœroremque animi significandum accommodatum? Per te vides, Æques & Procurator ornatissime Aureli Rezzonice, quo dicendo specꝫm, qui etsi laudes tuas ferre non potes, dissimulare tamen omni-

mnino non possis. Multis ipse sane virtutibus instructus & ornatus, quæ per se illustres, & Viro dignæ suæ Civitatis Principe, animi magnitudine, consilii firmitate, comitate sermonis, qua gravitas demum condita, & nescio qua innatæ jam inde a puero vitæ ratione, quæ id perpetuo sequatur, quod pro re ac tempore deceat; eædem tamen in te spectatæ videri possint præstantioris longe quasi comites & administræ eximius ille Religionis amor, qui quo consultius a te absconditur, ac veluti retruditur, eo magis eminet & apparet, Solis instar præfulget, ut quæ circum quasi sidera volvuntur, ornamenta cetera, aut minus suspiciantur, aut si suspiciuntur quidem, inde tandem nobilitentur. Ceteris hercle studes, quibus clari quique Viri, at vero nunquam lætior, quam cum tibi conscius, temet peculiari quopiam pietatis officio perfunctum. Quid ergo plura quæris? Ecce hinc tibi extraordinarii hæc seges honoris, præclarum hoc & singulare splendoris insigne, & publicum quasi monumentum ad tuæ memoriam laudis & virtutis commendationem. Patria in eo te maxime miratur, in quo præstat maxime; & divinæ quasi administra largitatis inde tibi decus parat, unde ipsamet imperii beatitatem consecuta. Utri igitur ego quidem gratuler? Illi ne, quæ in Te ornando sua exornat, an Tibi, cui ornamentum ipsum index est ingenitæ, exploratæque virtutis? Utrique nimirum immortaliter gaudeo; gratulor æque utrique. Patriæ quidem, quæ sagax meritorum tuorum e suis æstimatrix; Tibi vero, qui meritam gloriam adeptus. Quamobrem liceat mihi solemni hoc gratulationis & observantiæ testimonio tua persequi, quæ possim, ut cum Tibi jure devinctum ostendam Patriæ studium, tum temet mutua officiorum vicissitudine divinæ ejus liberalitati respondere paratum.

Non unæ sunt in libera præsertim Civitate ad honores quasi semitæ summis Viris parata, singulæ tamen virtuti patent ubi, quæ multifariam se prodit. Qui enim eo ascendit, subsidiis extrinsecus accitis, hoc est, vel clientum studiis, amicorumque conspiratione, vel splendore familiæ & commendatione majorum, vel demum ambitu, atque largitione, eum denique dixerim furtim quodammodo obrepsisse. Quæ splendida via est, & perillustris ad di-

gnitates, solidamque gloriam, officiis continetur, seu meritis potius, quæ ab optimo Cive in Civem, tum in Patriam universim profecta. Multiplicia illa quidem, perque varios fusa quasi rivulos: duo vero præcipua, unde aut cetera orta, aut eo certe tendentia, quorum alterum in scientia consistit rei militaris, in civili ratione alterum, quæ multis & magnis ex rebus constat. Tu quidem ad alterutrum instructus pro Familiæ, unde profectus, quasi instituto, quæ & vetustate ipsa illustris, & ditione jam primo potita, & rerum gestarum gloria, majorumque vestigiis nobilitata, & artium omnium gnara, quibus publica fere dignitas resque adaucta, Familiam dico a Turre clarissimam, quam satis commendo, cum nomino; Tu, inquam, ad magna quævis & præclara instructus pro insita familiæ vi, ad ea vero præsertim pro ingenii tui habitu comparatus, quæ domi præstanda: verum cum in florentissima Republica, ad quam veneras, ne id quoque ornamenti genus ceteris deesset, plures jam esse animadverteres, qui ad eam laudem contenderent, alii alios subsecuti, satis habuisti, temet ad conanda similia præ te ferre; iis nempe virtutibus ornatum, quæ in eo requiri solent, qui publica negotia tueri velit & moderari, probitate videlicet, integritate, beneficentia. Etenim hæc ego equidem arbitror rudimenta esse & prope incunabula actionis omnis, reique publicæ administrationis, quæ dum cursim memoro, neque vero singula, sustine me tantisper, vel si audire piget, qui sentis, ut ajebam, de Te demisse, illud cogita, non tam a me tua, quam insita præstantissimæ Familiæ tuæ decora commemorari.

Etenim nescio ipsa ne genere illustrior, an virtute clarior; quæ perpetua, & continenti serie a majoribus ad posteros hæreditarium quasi bonum traducta stabilem in ea veluti sedem delegisse sibi videtur. Si qua in familia laus aliqua primum floruit, eam fere, qui sunt ejus stirpis, cupidissime persequuntur, conanturque etiam celebriorem facere, si possint; verum haud semper optimus quisque optimum generat; neque qui statu ortus clarissimo est, perpetuo iccirco quam egregiam habet domesticam disciplinam & institutionem, perdiscit, aut imitatur. Quæ arbores diu

fru-

frugifera consecututam deinceps fertilitatem præ se ferre visæ sunt, eas aliquando vel accurate cultas nihil simile tulisse sæpe deprehendimus; quinimo vix quidpiam aliud, quod non insuave, vel etiam quod non asperum omnino & crudum, vitiato seu partium nexu, seu Cœli, solive ingenio. Atque si prisca quidem repetimus, a Romanis vero præsertim petita ad quorum exemplar Veneta Respublica constituta, facile intelligimus, neque Catonum sapientiam, neque prudentiam Fabiorum, neque Scipionum dignitatem, neque tandem virtutem Cæsarum diu viguisse, quo spectasse Virgilium puto, cum cecinit ...

... Sic omnia fatis
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.

quin proverbium illud a Græcis celebratum: *Heroum filiæ noxæ.* Verum morum hæc commutatio, & quasi vicissitudo, quæ ceteroquin propria mortalium rerum, neminem attigit, qui Rezzonicorum semine procreatus; unde tamquam firmata jam stirpe virtutis, & generis dignitas, & recte factorum gloria quasi fratres gemini adhuc prodiere. Nobilitas quidem magnam vim habet, ut ceteris præstare videaris, sed præterquam quod laus hæc perexigua est, quæ haudquaquam tua, id ipsum denique Tibi probro fuerit, si minus temet eum præstes, qui haberi velis; illud longe præclarius, quem a Majoribus nitorem acceperis, ac dignitatem, constanter perpetuoque tueri, atque ita amplificare, ut jam quisque putet, non aliunde assumpto Te frui bono, sed proprio & plane tuo. Hoc, inquam, Aureli, in domo tua præcipuum, ut actis jam radicibus, vera gloria cum natis ipsis propagetur. Jam filius patris, paret avi; avus proavi, & reliquorum reliqui, si libet quidem longius adire ad generis primordia, fixa ad sempiternam prædicationem temporis vestigia ita persecuti sunt, ut non tam conjunctio sanguinis, quam virtutis intercedere visa fuerit. Vix dixerim, utrum majores natu minoribus, an hi demum illis ornamento fuerint. Quemadmodum stellæ æque lucent sive collatæ invicem, sive singulæ; ita illi ipsi comparata gloria pares; atque accepto, redditoque vicissim lumine mutuo quasi decore cumulati.

O generosam stirpem, in quam magnatum virtutum insiti qua-si surculi, qui perpetuo florerent.

Intelligis, Vir ornatissime, eo me dicendo deflexisse, ut præterire non possim, ut velles pro insita animi moderatione, quæ tua sunt, quæ Fratris, quæ Natorum. Jam enim uberrima hinc mihi copia, atque vis ad Familiæ laudem tuæ, in qua mirabili quadam continuatione media primis, & postrema mediis consentiunt. Tu quidem cavisti in primis, ut qui essent tibi Filii, ita instituerentur, ut & sibi boni, & Reipublicæ utiles futuri aliquando essent, quod & Lycurgus apud Lacedæmonios sancivit; & Socrates apud Platonem in Euthyphrone ait esse in quavis Republica præcipuum, & ad ejus felicitatem maxime accommodatum. Hinc non modo præceptis, sed etiam exemplo liberos erudivisti ad majorum instituta: hoc est, primum ad Superum cultum, deinde ad pietatis officia, tum ad jus hominum, præcipue vero ad Patriæ commoda, civilemque societatem, demum ad modestiam & eam animi magnitudinem, quæ cum moderatione & comitate conjuncta. Prosperitatem vitæ intercipi posse, quæ Deorum munere continetur, quin eripi æque facile, atque facile impertitur: solidum præstantemque familiæ splendorem ab una denique virtute repeti: bonum non esse divitias possidere, sed iis uti, quo demum ipsæ in primis comparatæ: divitem propterea quempiam non ex possessione æstimari, sed ex usu, qui probum Virum deceat, qui Civem, qui Patritium, & quidem ad Patriæ majestatem domi forisque tuendam paratum. Hæc animo excepta ad virtutem prono tamquam semina mollito terræ gremio & per se feraci mira virtutum ubertas consecuta. Ecce Tibi jam Nati, quorum alii adolescentia ipsa prima in egregiam spem culti, & vix opis eorum, consiliique indigi, quibus concrediti ad erudiendum; alii adolescentia pene egressi majores natu æmulati, & ex his quidem, qui optimi & probatissimi viderentur. Ludovicum dico, & Carolum, qui provectiores virtute, quam ætate, clarissima quasi lumina in conspectu posita amplissimarum Urbium, in quibus nihil non æque magnum, & admiratione dignum,

gnum, & pene totius Orbis principum, cum ceteros anteire visi, qui demum æquales, tum vero eos proxime consequi, qui jam grandævi longe ad hominum existimationem processere. Jam alter quidem equestri honore affectus, qui aut magnis vitis debetur, aut virtuti magnæ, & pene dixerim divino afflante consilio provectæ; atque ille rursus non quæsitus, sed ultro delatus, neque vero turbulente aut temere, sed miro voluntatum studiorumque consensu; quin præsensione quadam animi in reliquos quosque paratus decretusque, qui deinceps ab eo primum gignerentur, perinde quasi reliqui quique ejusdem plane virtutis æmulatores futuri essent. Alter vero id muneris præpropere assecutus opinione probitatis & prudentiæ, quod summa dignitas, & amplitudo brevi consequeretur. Itaque quo te modo evectum intueor, Princeps ornatissime, multo jam ante visus mihi intueri; quamque præcepi animo lætitiam, confirmata ea quidem eventu est, non porro adaucta. Non enim per levitatem vilus aut inane quoddam in re studium, sed meritorum tuorum conjectura ductus, seu potius nescio qua divinatione permotus. Etenim facile conjici poterat, quid Te demum futurum esset, quemadmodum autem futurum, nonnisi afflatu quopiam divino. Hæc honoris amplitudo amplissimæ erat consentanea virtuti, quæ in omnium ore, atque oculis aliquandiu versata; consentaneum etiam, eamdem ab eo deferri, quem potissimum e domesticis exemplis imitandum Tibi proposueras. At fuerat hoc quidem humanæ menti abditum, & penitus retrursum. Igitur dat ille lubens, quod Tibi; lubentius vero multo, quod merito dat: neque enim hercle daret, nisi tua virtus impelleret. Macte animo, & naviter perge, qua denique Tibi expeditum tutumque ad gloriam iter. Quid enim est, in quod offendas, aut incurras, eo hortante, Auctore, Pattono, cujus auspiciis cum Tibi secunda quæque adhuc evenere, tum vero communis omnium salus, quies, felicitas, bonum omne, & quidquid lætabile in vita potest esse, aut gloriosum, denique tenetur.

Video me eo sensim deductum, unde ea lux circumfusa, quæ oculos perstringit, eaque objecta altitudo virtutis, fortunæ, glo-

riæ,

riæ, quam ne animo quidem complecti possim, ne dum intenta acie intueri, aut sermone metiri. Magna nempe magnis conveniunt; & quæ amplissima sunt, iis respondent, quæ æque præclara, si hinc prorsus habent, ut ejusmodi sint. Tu quidem in excelsum collocatus, CLEMENS XIII, ut parem non habeas, aut excelsiorem; sed id ipsum cohærere visum cum Tuæ excellentia virtutis; tuæ, inquam; ejus nempe, quæ vias difficiles & impeditas indagat; quæ nullis honorum finibus coercetur, seu mavis dicere quam nulla honoris magnitudo assequitur, & exæquat; quæ demum cœlum ipsum aperit præstantibus viris, quibus ipsis Tu quidem præstas. In eo magnorum hominum cœtu non tam nomine, seu specie, quam gravitate & prudentia sane splendido & eminenti, quibus propterea haudquaquam insolens videri solet, aut novum quicquid habet insigne quiddam ad decus & commendationem, ipse tamen ita præluxisti, ut reliqui omnes Te demum unum suspicerent, & admirarentur; inque unum Te oculis animisque conversis, eum tibi met hono rem desponderent, decernetent, deferrent, a quo singuli quique videri poterant non longius abesse, nisi Tu ipse adfuisses. Non ipse quidem traheris laudis studio, quod ipsum in tua laude pono; parere tamen, me saltem ea, quæ una omnium voce vulgata sunt, neque tegere ullo modo potes, non tam dicere, quam meminisse, ut demum putes, germanam sane virtutem contentam esse splendore solido, & suo, communis tamen felicitatis interesse, ut eadem vel externo, & adventitio aliquando commendetur. Igitur Romæ cum esses, cum solent homines natura præsertim ad recte agendum proni, aliquid primum aggredi ex virtute, suique periculum facere, ita produxisti in conspectum hominum, ut statim ostenderes, quantus & qualis futurus esses. Etenim si quæ rimus, quæ privati Civis sunt, & ad omne officii genus comparari, nihil in Te non ingenuum, non liberale, non moderatum; idque ipsum æquabile & constans, quo demum devincta hominum inter homines societas; si porro quæ magni Viri & in dignitate constituti, qui Tibi animus in omni procuratione muneris publici, quæ fides, quæ consilii vis, & firmitas? quam mi-

mira, quam singularis, & ad illustre quoddam exemplum apposita! Si demum quæ probi Viri, & ad pietatem addicti, id sacrarum rerum studium, atque cultus, eaque in miseros presertim & laborantes charitas, liberalitas, beneficentia, quam in animum bene paratum inserverit unquam prisca quædam & gravis morum institutio, & severior disciplina sanctitatis. Quamobrem brevi cum magnis negotiis perfunctus, tum longe honoribus progressus, eamque dignitatem ipsam assecutus, cujus gratia a Clarissimis Viris & longinquæ legationes obitæ, & diuturni molestique insumpti labores, & immensæ prope ad incertum etiam casum impensæ factæ. Atque cum ei quidem, qui Te præcessit (ea nempe erat ingenii perspicacia, eoque rerum usu pollebat) minus conducere videretur Christianæ Reipublicæ rationibus, ut Virtus hæc tanta, & mirum in modum adaucta in Urbe una versaretur, cujus spectaculum ceu communis boni ad universos pertineret, Paravinam Tibi sedem sponte obtulit, cujus ditio longe lateque extensa vel ipsos finitimorum populorum fines pervadit. Visus ipse Tibi oneri huic tanto sustinendo haudquaquam par, ut propterea aliquid Tibi temporis ad deliberandum peteres, omnibus hercle mirantibus, nobisque in primis, qui vel absentem noveramus quadam celebritate famæ, quod peteres, atque adeo petendo timeres, & cunctaveris. Ut vero idem suscepisti, amplitudine virtutum amplitudini loci mire respondisti, ut tamquam Sidus videreris suo inhærens Orbi, suæque Sedi infixum. Quæ erat omnium nostrum de Te expectatio, admirabili quadam virtutum abundantia eam plane explevisti, ut repente, & quasi e vestigio vulgaris opinio percrebuerit, de Cœlo divinum hominem ad nos delapsum, haud insuetum Te majorum rerum, majoribus Te natum, tuamque operam, curam, sedulitatem ad majora servatam. Ex ingenti quadam rerum gestarum copia quas potissimum memorem, maxime Pater? dicam universe, Te nunquam a temet discessisse; tempus fuisse nullum ab aliquo pietatis officio vacuum, præstitutos dies atque adeo horarum spatia distributa, quibus privatis rebus vacares, quibus publicis; ex miseris & afflictis neminem sine solatio relictum, census admo-

dum

dum amplos ad id munus unice paratos, visum denique Tibi afsatim planeque consultum ubi alius consuluerit. Addo perpetuam illam & incredibilem animi curam, qua principis fani Patavini cum molitioni jamdudum inchoatæ, seu parietibus altius fornicatis, seu strato solo ipso polito marmore, demum perficiendæ studuisti, tum supellectili bene multæ, ornamentisve generis omnis comparandis, & spendide contextis, & ex puriore argento compactis, eleganti præterea opere & artificio, ut ne cogitare quidem fortasse poterit sumptuosora seu ad magnificentia, seu ad regium pene splendorem. Hinc pro tot tantisque in nos tuis singularibus beneficiis, pro eximia virtute tua, pro suscepta omnium nostrum cogitatione, & quasi sollicitudine ramquam Patris filiorum amantissimi murum in Te omnium generum, atque ordinum studium, sensus ubique idem, & par obstrictæ voluntatis significatio. Rei hujus ipsemet sane testis, si meminisse velis ejus diei, quo iter istuc instituisti. Quantus enim, & quam incredibilis clamor undique & concursus ad Te factus est? qui motus totius Urbis? quæ præterea obviæ Tibi multitudinis effusio ex oppidis, ex agris, ex vicis, ex domibus denique omnibus. Lacrymis obortis, quacumque præterires, ire felicem jubebant, & favore prosequebantur prætereuntem: quicquid Præsidum e superis occurrebat oculis, quicquid animo præcantes, ut faustum deducerent, sospitemque brevi sibi restituerent. Tu quidem humaniter solatus es singulos & universos, partim comitate sermonis, largitione alios, plerosque vero nescio qua gestienris quasi animi hilaritate, & ut fere fit non in prosperis modo, sed etiam tristibus, id ipsum, quod evenit, divinanris. O nos miseros! O missas incassum preces! O amissum nostrarum rerum columen, & præsidium! Nobis quidem ipsis nimia jam fortuna illa nostra facile videri poterat, eoque suspecta haberi; sed cum id firmum ei fit, & in sua mobilitate denique constans, ut e summo retro fere volvatur, ac remeet, satius illud longe fuit, nobisque optandum, ut ejusdem mutationem ac levitatem ipsi potius subiremus. Cogitatio hæc una desiderium tui lenire potest, infixumque animo doloris sensum minuere,

præ-

præsertim cum Tibi quidem ea obveuerit varietas loci & fortunæ, unde nobis adhuc præsto esse possis, qui omnibus debes. Hæc videlicet reliqua spes est, qua mœrentes erigimur, & recreamur: neque enim quicquam nobis potest esse sine Te, aut cogitatione tui jucundum. Quamquam si ea est beneficii vis, & ratio, ut eorum animos devinciat, qui accepere, adigatque eum colere vel absentem observantia summa, & memoria, qui contulit, jam Te præsentem veremur, jam suavissimo conspectu tuo perfruimur, qui insignem illam ac prope divinam liberalitatem, qua nos coram complexus es, adhuc vis esse restatam, & qualem temet antea nobis præbuisti, talem hoc quoque tempore impertis. O incredibilem bonitatem! O Te vel in magno gravissimatum rerum quasi æstu nostri memorem! Diu vive spiritu hoc virtutis, & laudis, qui ne ingravescente quidem ætate debilitatur, aut senescit. Nos sane qui gratulationem tuo nomine ad omnia Divorum templa fecimus: qui diem hunc, quo faustiorem nec antea vidimus, nec deinceps speramus, carmine pene triumphali, & solemnibus vocibus celebravimus, qui geminata diu lætitia, eademque in omnes fusa hominum gradus, eumdem cum magnum, festumque semper habebimus, tum votis perpetuo prosequemur, ne aut brevi occidat, aut aliqua infortunii nebula perturbetur.

Videor fortasse, Aureli, non tam de tuis, quas institui, quam de tuorum laudibus laborare. Atqui ego quidem ea commemoravi, quæ ad Te denique pertinent: tuique imaginem effinxi colore quodam suo. Nam splendor sane Familiæ, qui nullis unquam maculis aspersus, polita veluti tabula videri potest, ac nitida, in qua tuæ adumbrentur virtutes; optima rursus natorum indoles, & insita vis ad laudem appositum ad speciem lumen adjungit, in quo collocentur: demum Fratris majestas & amplitudo princeps præstantem quamdam formam exhibet, ad cujus similitudinem exprimantur. Quid quod quæ facta in eo commemoro illustria, & gloriosa, ad tui ipsius commendationem commemoro. Jam enim si quæ alterutrius sunt, inter se comparentur, si pietas, religio, integritas, liberalitas, si demum virtutes

re-

reliquæ reliquis, non tam specie similes, quam excellentia ipsa plane pares videantur. Non satis noveris, uter utri præstet; uter utri exemplo sit, uter expressa alterius imago; uter exemplar: præceptis videlicet iisdem, & in una institutione formati. Præterea mira quædam in utroque sermonum, atque morum suavitas, voluntas, studium, cupiditas summa in utroque veritatis præsertim, & justitiæ tuendæ; verbo, ratio vitæ prope æqualis, quantum quidem discrimen patitur tum muneris, tum dignitatis. Quapropter arctior hinc, quam a stirpe inter utrumque affinitas, & amor mutuus multo flagrantior, quam a natura. Alter alterius desiderio tenetur, alter alterius dignitate lætatur; lætaris Tu quidem, quod clarissimus Frater eo loco sit, unde tueri Rempublicam possit, cui totum Temet, tuaque debere te profiteris: lætatur ille, quod egregiæ hujus tuæ in Patriam voluntatis fructum cepisti longe maximum, gratia, & benevolentia Civium omnium obsequio capta. Quod si quicquam ipse Tibi contulit ad decus hoc tantum pro eo felicitatis fastigio, hoc uno de dignitate sua Tibi gratulatur, qui alioquin a gloriæ cupiditate abhorret; eamdemque ultro occurrentem eo sensu excipit, qui virtus videri possit moderatione ipsa minor. O par Fratrum cui nullum aliud par; quorum memoriam omnes anni consequentes repetent in magnam quamdam admirationem adducti.

Repente Tu quidem eo evasisti, quo per ardua, certosque gradus ex patriis legibus evadendum; repente quæ duo sunt præcipui honoris insignia, equestris & Procuratorii Tibi una delata; quod haud scio, an nemini unquam antea contigerit. Verum non quemadmodum si quis subito dives fiat, eum fieri Fortuna dicimus; ita Te, eadem blandiente, ad amplitudinem hanc provectum putamus. Illa sane magnam vim habet in humanis rebus cum secundis, tum adversis; temere tamen ferme omnia, & ex cœca quadam libidine, nisi virtute regatur, aut se veluti comitem virtuti adjungat. Utramque dixerim Tibi adjunctam; utramque in Te ornando consensisse, seu potius certasse, utra ornaret cumulatius, ut jam utraque visa fuerit in tua fuisse potestate. Felicitatem dixerim plane tuam, fortunæve Tibi belle flantis, quod quæ amantissimo fratri accessio honoris omnium summi ne cogitan-

tanti quidem facta est, in Tui quoque admirationem verteret mentes hominum quærentium & optantium quodammodo similia; id ipse porro fastigii sine contentione nancisceretis, quo vel contendenti non semper expeditus ascensus est. Verum Tumet ipse sentis, si tua quidem explorare velis, quæ sunt intus in animo, id sane factum virtute, præsertim Duce, seu potius una, quæ de Te in ipso, ut ita dicam, vestibulo palam exhibuit, quæ magnopere suspiceremus; quæ Temet omnibus charum præstitit imis æque summisque Viris; quæ non paratum modo, sed etiam præclare instructum ad quæque adeunda seu difficilia, seu splendida; quæ denique digne ac mereris magno nomine consalutatum. Si enim liberalis a Philosopho prædicatur, qui largiendi voluntate movetur, etiamsi forte non suppetat, quod reipsa largiatur, non fuerint Cives de Patria bene meriti, aut merentes, si sua sponte ad officium quodvis propensiores sint, quod pro re nata præstent, aut præstare velint, si minus possint? Quid porro est, quod ipse non susceperis, strenueque peregeris, aut quispiam ex tuis, Principis mandata pro tempore executus? An memorem tempus illud negotii plenum, unde non levis de Republica cura & cogitatio optimo cuique injecta? Nolim videri eodem regredi, & in orbem quodammodo verti: sed ejus quidem, cujus jam memini, eximia laus aliqua vel progredienti mihi se pissim offert, ita cum tuis miro modo devincta, ut si de Te sane pergendum, ejusdem quoque mentio subinde recurrat. Novisti me Aquilejensem controversiam intueri, quæ eo ad extremum processerat, ut res in propinquum discrimen adducta videretur. Expedito homine opus erat, acuto, & vel de futuro satis calido, & prudente; cui præterea superiorum temporum rerumque gestarum monimenta perspecta essent, & vetustatis exempla, ut pro æquo amicitiæ jure susceptum pridem negotium aliquando transigeretur. Provincia hæc per se salebrosa, quæ aliis antea sæpe commissa, & quidem summis æque Viris, præstantissimo Fratri, ad extremum data, qui eo tempore Romæ erat; præsertim cum is esset, quem Pontifex ipse Summus, quicum maxime agendum, præ aliis diligeret, charumque haberet. Non ille sane industriæ

pe-

pepercit ulli, non vigilantiæ, non labori, non impensæ, ea sibi una mercede proposita, ut de sua in Patriam observantia constaret, cujus amplitudini, & gloriæ cetera quæque posthabenda duceret, quæ privatis rationibus servirent. Quid operæ in rem hanc contulerit, quid fœderis iecrit, unde vel ipsæ in perpetuum sublatæ contentionum ansæ, quidve transegerit pro dignitate Senatus, immo vero etiam ad voluntatem, præclaro publicæ liberalitatis testimonio, seu præconio potius confirmatum est, cum ultro Tibi penitiorum consiliorum potestas delata, quæ expenderes & referres. Quid enim potius? Ille quidem ea erat dignitate, ut nulla Reipublicæ esset ejus augendæ facultas; Tu vero non multo ante Provinciali munere egregie functus satis ostendisti, qualis in gravioribus & urbanis futurus esses. Germana quippe virtus in parvis æque elucet, atque magnis; neque qui peritus mare vel exiguum navigandi est, rudis deinde fuerit, si se immenso committat; aut cæso Fabius minus ad usum, & disciplinam belli instructus, cum in Vejentes processit, comitante dumtaxat suorum agmine, quam si justo exercitu stipatus hostem fudisset. Vides me Bergomi Prætutam intueri, quæ quasi theatrum virtutibus data tuis.

Quas primum referam, aut quas quibus anteponam, cum singulæ sint fama & admiratione hominum æque claræ, in quibus est aliquid, quod sua vi quemque alliciat ad se se ad gloriam natum, trahatque sua dignitate ad imitandum; Quendam tamen præ se ferat conatum summum, qui deterreat. Non in ea profecto tempora incidisti, quæ præcipuam quamdam insignem curam postulant, vigilantiam, providentiam; perfecisti tamen, ut omnes intelligerent, ad virtutem te fortem, & strenuum, si incidisses. Certe cum ea tibi Provincia contigisset, quæ in finibus Venetæ ditionis posita est, cavisti in primis, ut multa tui haberent, in quibus finitimi inviderent; nihil porro rerum omnium finitimi, in quo tui. Etenim tecum ipse constitueras, ut ea quidem semper potiora duceres, quæ ad Reipbulicæ amplitudinem spectarent; numquam tamen a facilitate illa, atque adeo suavitate recederes, quæ Veneti ingenii est: Prætorem esse veluti Patremfamilias prudentem, & attentum, cui domesticorum omnium

nium commodis, & utilitati serviendum; Provinciam perinde habendam atque Rempublicam ipsam, cujus illa pars est; nihil autem Patritio homini Republica charius; in potestate demum gerenda servandam in omnibus tum æquabilitatem, tum æquitatem, ut potestas alia nulla ab iis desideretur, in quos datum imperium est. Sunt, qui populorum quidem felicitatem spectant, qui sibi commissi; habentque etiam præcipuam, in quam curas omnes, & cogitationes conferant; ii videlicet, qui excelso animo, qui Cives boni, & amantes Patriæ, verbo, qui Tui similes, aliqua tamen gloria ducuntur, & nominis fama, cui in posterum provideant. Etsi studium hoc ipsum a culpæ reprehensione vacat, imo videri potest a virtute profectum, quam immortalitas per se consequitur, dummodo ne ultra quam deceat; Tu tamen fecisti nihil amore tui, & si quam aliquando de præclaris tuis operibus lætitiam cepisti, eo gavisus es, quod eas partes peregeris, quæ Tibi impositæ, quod præceptæ de Te expectationi responderis, quod Principis voluntati obsequi studueris, susceptamque Magistratus personam pro dignitate tueri. Quodnam enim denique fuit onus officii, quod reliquum feceris? Reliquum ajo? imo quod summa cum diligentia non persolveris? Atque in hoc tam immenso veluti campo ne incerta via dicendo vager, ad id me refero, quod est in re quaque agenda potissimum. Cum nihil sine justitia laudabile in eo sit, qui imperat, quæ fundamentum est perpetuæ commendationis & famæ, justitiæ vero partes præcipuæ duæ sint in comuni quadam laude positæ, hoc est in suum cuique tribuendo pro dignitate; quarum altera ex iis constat, quæ ad Deum referuntur, ex iis altera, quæ societatem Civium inter se tuentur, utrique Tu quidem cumulatissime satisfecisti. Nam ad pietatis quidem officia jamdiu instructus cum esses, & pro indole quadam tua piissimus, non valde tibi laborandum fuit, ut quæ privatim a Te instituta ad probitatis commendationem, ad Imperii rationem accommodares. Ipse igitur primum illud habuisti constitutum, ut nihil ante ex civilibus rebus aggrederetis, quam ab immortali Numine, a quo demum tradita hominibus in homines potestas, omen

cape-

capere, idemque enixe precaveris, ut Tibi de re quapiam judicanti, cognoscenti, statuenti assideret, duceretque quo veritas præfiniret, quo præscriptum vocaret, aut norma juris aliqua, qua veluti naturæ regula res unaquæque metienda, & administranda. Versa deinde in familiam cura seu famulantium, seu administrantium, quod genus hominum etsi fere natura procax, ita tamen tenuisti, ut pudoris, continentiæ, moderationis exemplo esset. Demum cum deligendi de more essent, qui aliqua ex parte onus tuum sustinerent, etsi unus ferre posses, probatissimos quosque e singulis ordinibus delegisti; qui dignitatis tuæ rationem haberent, qui suæ pro tempore consulerent; qui ab officio, a fide non recederent, non studio ducti, non largitione illecti, non simultate, non ambitu, uno verbo, qui de comuni existimatione laborarent, comites & adjutores tuorum consiliorum cum in rebus gerendis, tum vero etiam in moribus ad graviorem disciplinam informandis, cujus ipsi propterea in primis studiosi. Hæc porro tuorum institutio, omnino vero tua, tam gravis, & constans ut nihil fieret, nisi moderate, nisi integre, nisi incorrupte, vi'a optimum quemque ad imitationem capere; admonere reliquos, & quodammodo hortari, ut eo se referrent, si alio forte declinarint. Quod si sua sponte non redierint, irrogatæ ex Prætoria auctoritate multæ, quibus redire cogerentur. Ex iis præclaræ pietatis initiis, quæ Virum commendarent, qui sacris ipsis præesset, facile erat præsentire, quam munifice, quam æque, quam vigilanter, quam demum religiose ea justitiæ instituta defende sustineres, quæ humanam conjunctionem tenent, & moderantur. Atque cum hæc quidem dirimi injuria possit, quæ duobus modis fit, id est, aut vi, quæ insontibus injuriam infert, aut fraude, quæ conventa turbat, nescio, utri promptius obviam iveris, utram acrius vindicaveris, & non ab Urbe modo, sed ab ipsis etiam totius Provinciæ finibus diligentius prohibueris. Tu quidem eas partes libentius egisses, quas Te ipsa natura docuit, indulgentiæ & lenitatis, & fasces illos, ac secures maluisses esse insignia dignitatis, quam durioris imperii; idem tamen in animadvertendo gravis & severus, si eam a te rationem comu-

comunis omnium ſalus, quies, tranquillitas, bonum denique exegiſſet. Non ſum neſcius vix quidpiam a me commemorari, quod Te ſupra ceteros efferat, a quibus imperium acceperis, aut quibus deinceps tradideris; in ſumma tamen laude ponendum, quod nihil eorum prætermiſeris, unde pax tota Provincia conſtituta, qua depulſis ocyus latrociniis, qua cœdibus repreſſis, qua irarum æſtu reſtincto, qua ſublatis diſſidiis, unde magna fere odia, & aliquando etiam publicarum rerum everſio; qua demum tutis a latronum vi itineribus, quod in ea montoſa & aſpera regione, atque ideo ad parandas inſidias accommodata Tibi maxime glorioſum. Quid vero illa, quæ non minoris per ſe negotii, tui tamen moris & ingenii ad comitatem facilitatemque proclivioris? Ultro negotiis occurrere; ſuccurrere ſaluti, fortuniſque communibus; præbere aures querelis omnium; miſeros quoſque ſolari; acceſſu ad Te prohibere neminem; ſingulos liberaliter tractare; nullius inopiam & ſolitudinem deſertam eſſe pati, aut extruſam ſeu a ſella ac tribunali, ſeu a domo, atque adeo penetrali cubiculo. Hæc, quæ plurimum per ſe valent ad ſplendorem virtutis & juſtæ gloriæ prædicationem, præſertim ſi æquabilis juris ratio in ſingulis teneatur, minus nos quidem attendimus, qui domeſtica, & in vulgari conſuetudine poſita minoris habemus, peregrina autem & inſolentia magnopere miramur, ſi quid in iis, quæ Tibi cum pleriſque comunia, & ad Venetam laudem univerſe pertinent propria quaſi decora & perennia, ſi quid, inquam, tuum ipſius eſt, aut certe pene tuum, magno quodam animo continetur, quo in Rempublicam es, cujus majeſtatem non conſiliis modo, & auctoritate, ſed ſpecie ipſa ſplendida ſane & magnifica ſuſtinuiſti. Quid enim parari a Te potuit ad ſummam elegantiam, præclaramque faciem illuſtrius, ne dicam ad profuſam pene luxuriem: neque enim quicquam puto ſumptuoſius æquo, aut paulo nimium redundans, quod ad augendam publici alicujus muneris dignitatem comparatum. Viſus hercle non tam Prætoris perſonam ſuſcepiſſe, quam Legati graviſſimam, qui uti Reipublicæ faciem ſecum affert, & poteſtatem gerit, ita nihil debet omittere ex genere omni, quod videri poſ-

ſit

ſit plane & omnino lautum, exquiſitum, ad ornatum decorum, & regio pene appatatui proximum & affine. Is videlicet erat epularum ſumptus, temperans ipſe cum ſis, & plane frugi; ea ædium apparatio, & magnificentia, cum per Te non ab inanitate ſolum abhorreas, ſed ipſam etiam ſuſpicionem verearis; equi præterea pretioſi & inſignes; phalere eximiæ, & polito ære elegantes; aurei currus, & miro opere cælati; familia demum ad quodvis officii genus bene multa & decore exculta, perinde quaſi de tuenda Principis dignitate apud exteras nationes Tibi dimicandum eſſet. O magnanimum Virum! O Civem præſtantiſſimum, cui Patriæ ſplendor, & amplitudo fortunarum magnitudine, quibus large locupletarus, longe potior. O fortunas ipſas cum laude comparatas, ſi in publicum uſum demum collatæ, reſervatæque ad id, quod laudabile per ſe eſt, Patriæque decorum. Manet adhuc præclaris hujuſce regiminis recordatio, tamdiuque manebit, quamdiu ipſimet parietes Urbis ſtabunt; eadem enim in dies jucundior, quæ benefactorum commemoratione & præclariſſimarum virtutum, quæ tui ubique ſociæ, veluti præſentem Te iterum ſiſtit mentibus Civium, & quidem, qui communis eſſet omnium ſenſus, & votum, quaſi imperio denuo potitum. Etſi vera virtus nonniſi ſui ipſius appetens eſt, neque vero laudis, & gloriæ, tamen Tibi decedenti undique plauſus excitari; auguratum undique pulcherrime, proſpere cuncta pro meritis proceſſura; ea mens una omnium, ſenſus, & vox una Cuſtodem & Præſidem Urbis abire, citius vero Parentem; hinc conqueſtum, ſatius fuiſſe, a procuratione hac Te vacaſſe, ſi aliquando ex lege ponenda, vix temperatum pene dixerim, ne ſimulacra ponerentur juſtitiæ, clementiæ, liberalitati eximiæ tuæ; qui mos Provinciarum in Romana Republica in eos fuit, qui provide, munifice, humaniter, æque demum, atque ipſe, præfuere. Quamquam prius prædicatione defeſſi fuerint homines prædicando, atque admirando, quæ faceres digna, quam Tu quidem faciendo. Sed Præturæ tuæ laudes nimio plus fortaſſe perſequor. Scilicet eo ſpecto, ut quiſque intelligat, quemadmodum memini, quid ſibi de virtute tua polliceri Senatus poſſet, ſi quid gravius committeret;

cum

cum tantum consilii, vigilantiæ, prudentiæ in minoribus ostenderis. Utinam vero graviora deinceps commissa! jam manu teneremus, quod cogitatione præcipimus. Igitur ut eo me referam, unde dicere cœpi, eo Tu honore affectus, qui meritis congrueret tuis; atque ea laude cumulatus, quæ Patriæ majestatem deceret munifice, & large danti. Non interclusus Tibi gloriæ cursus; aut uberioris præterpta laudis seges; sed additus quasi aculeus, quo explorata tua virtus longius proveheretur; & apex impositus senectuti, qui summa dignitas est & auctoritas. Neque enim dubito, quin in ea tuenda id operæ collaturus sis, quod fuisses in assequenda; cujus quidem veluti exorientis splendor ita Te perstrinxit, ut visus pendere animi, an inde aciem averteres. Quamobrem fruere tanto hoc bono tuo, si minus Tibi, qui virtute una duceris, non fama, aut opinione virtutis, saltem Patriæ, cui ornamento, & gloriæ est id ipsum, quod Tibi effuse tribuit. Natis vero in primis fruere, in quos Parentum decus veluti e speculo denique resilit. Tu quidem exemplum ipsis præclarissimum integritatis & innocentiæ, unde princeps planusque aditus ad veram laudem; idem porro ipse documentum illustre, nihil esse in Veneta Republica virtute potius, cujus specimen ipsum præcipui honoris insignibus decoratur.